Cum conſtitutum ſit ab inclyto huius Reipub. Senatu, ut, qui ſuæ in artem Muſicam propenſionis teſtimonium edere vellet, is aliquam earum cantionum, quas nondum typis excuſas haberemus, & qua maximè delectaretur, in hunc theſaurum ſuamanu inſcriberet, vel alijs hoc negotium daret: Egoq; cognoverim viros Chariſs: & Prudentiſsimos Dn: Thomam Amandum Conſulem, & M. Hieronymum Noſtwitium quondam patriæ noſtræ dulciſsimæ Syndicum, patrem meum Chariſsimum hanc artem amaſſe amore quodam ardentiſsimo, eaq; quaſi μαλακτικὸν miſeriarum humanarum, ſicut ſapientiſsimus Plato artem Muſicam appellat, ſæpe ſuaviter uſos fuiſſe, non potui facere, quin in memoriam utriusq; jucundiſsimam has duas graviſsimas & ſolatij pleniſsimas cantilenas: Vita in ligno moritur: Et: Iuſtorum animæ &c. huic theſauro inſcriberem: quorum hic: Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt: Ille: Vita in ligno moritur. &c. adeò delectatus fuit; ut gratius & jucundius nihil audirent. Quia verò inter illum & parentem meum in hac rerum humanarum teterrima caligine ſemper mutua fuit benevolentia, & in otio & negotio mutua animorum conjunctio, non dubium, quin vitæ munere perfuncti & nunc in illa ſempiterna luce collocati, cum illo bonis omnibus æternaq; pace circumfluente cœleſtium animorum cœtu conjunctiſsimè vivant, alter alteri egregiè charus: DEVMq; de facie ad faciem videntes Hymnis quàm ſuaviſsimè celebrent. Quod ut & nos accitu ſummi Dei, æternum illud cœleſte lætioris vitæ domicilium petituri, in pace aliquando diſcedamus, quisq; pro ſua parte diligenter operam demus. Quarto Idus Novemb. Anno Χριστογονίας 1593. quo die D. Martinus Lutherus, piæ memoriæ, natus eſt, Anno. 1483. Islebiæ.